

Sententiis CCXLI. et incipit: *Auem in somnis qui uiderit & cum ipsa pugauerit, litem aliquam significat. Asinum uel bedum uiderit, cumentum negotii significat. Aui aliquid rapuisse, damnum significat. &c.* Extrema sunt: *Cepas in somnis uidit, oculorum dolorem significat. Zona aurea cingere inuidiam significat.* In Alphabetum quodammodo redactae sunt Sententiae, sed quod pluries ad caput redit.

IV. fol. 129. p. 2. *Haec Sunt Sortes Sanctorum Quae Numquam Fallunt Recta Scrutantes Si Cum Jejuniis Et Oratione Peraguntur.* Istud uidelicet collyrium solet oculis rudium illini. Duae Series sunt Oraculorum duabus fanis *Orationibus* ad Deum, quarum prior *S. Martini* dicitur, interceptae. Nec in ipsis Oraculis aliquid improbi. Ita autem ineunt: *C. C. Animum tuum nunc dubitantem esse uideris. sed postmodum deo adiuuante perueniet, ubi, & obtinebis, quae cupis.* V. *De quo consules, crede constanter, quod peruenit ad te, quod speras.* III. *De quo cupis, deum interrogas. Ipse te adiuuet, ut perueniat, quod desideras.* &c. Numeri praefixi, ut puto, ex urna quadam a consulentibus temere protrahebantur, quo facto illis promulgabatur Effatum. Tò *Sanctorum* titulo additum callidis superstitionum patronis instar scuti seruisse videtur, quo tela a tot Patribus et Synodis in Sortilegium coniecta exciperent.

Ad Codicem intus conuestiendum adhibitae sunt Lacinae *Computus Bedae* eod. Seculo scripti,

et in fronte praeter alia inania legitur: *Anno domini Millesimo Trecentesimo LXXIII. in die Antonij conf. per manus Fridrici wistalarij de salczburga.*

CCXII.

Codex membraneus lat. Sec. R 53. XII. Folior. nunc 37. 4. per duas columnas minutius, sed nitide scriptus, rubricis, literisque initiorum picturatis distinctus, et *Neapoli ex Archivio SS. Apostolorum, Clericorum Reg. vulgo Theatinorum* a. 1716. ad nos translatus, ut praeuie testatur *D. Eustach. Caracciolus*, hoc titulo miniato gaudet: *Incipiunt yfagoge petri monachi in theologiam. ex dielis sanctorum patrum.* Unicus Autoris scopus est, ostendere, quotuplici significato Vox quaelibet biblica venire possit. *A Deo* exorsus per *Angelos* et *Regnum Dei* ad *Hominem* delabitur, quem membratim et paene *diatomus* recenset, tum ejus aetates, sexum, generationisque respectus pervadit, donec Codex in vocabulo *Soror* abrumpatur. Liqueat hinc, vastum sane Opus fuisse, si modo illud *Petrus* pertexuit. Quis vero ille? Novi, *Petri Piclavienfis Allegorias super V. et N. Testamentum* ferri a *Lelongio, Oudino, Fabricio*; at is *Monachus* non fuit. Aetas illi Sec. XII. non anterior; *Brunonem* enim Sec. XI. Scriptorem saepius excitat. *Gregorius M. et Cassiodorus* praecipui ei fontes; legas tamen et *Hieronymum, Augustinum, Johannem Os aureum, Rabanum, Paschasium,*

um, atque cum his etiam *Eliphaz*, *Heliuth* &c. amicos *Jobi* citatos in margine, quos in textu *Viros sapientes* adpellat. Atque, ut tractationis ejus specimen dem, en initium. *De Deo. In scriptura sacra Deus aliquando nuncupatiue aliquando uero essentialiter dicitur. Nuncupatiue enim ponitur. sicut ad moysen dicitur. Ecce constitui te Deum pharaonis. Et sicut idem moyses ait. Si quis hoc uel illud fecerit applica illum ad deos. uidelicet ad sacerdotes. Qui rursus dicit. Diis non detrahes. id est sacerdotibus. Et sicut psalmista ait. Deus stetit in synagoga deorum. in medio autem deos discernit. Essentialiter autem deus dicitur. sicut ipse ad moysen dicit. Ego sum deus patris tui &c.* Abrumpitur uero in Articulo de usu biblico uocis *Soror* his uerbis: quia iugo seruitutis egressa archanorum meorum facta es conscia — —.

## CXIII.

R. 555 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 117. 4. currente calamo exaratus et minio distinctus *Glossarium* est, sive *Expositio* omnium *Vocum* difficiliorum *S. Scripturae* simul et *Prologorum Hieronymi*, ad quam hic ingressus: *De singulis libris bybliothece aliquas dictiones proferre libet in medium, ut quandoque de accentu diiudicemus, quandoque de significatione. De propriis autem nominibus raro mentionem faciemus, quia ipsa certam doctrinam fugiunt.*

Adde: et quia eorum interpretatio paene omnibus Codicibus biblicis adscripta reperiatur. Specimen Glossatoris habet: *Prologus super genesin. Prologus prefatio quasi prelocutio. Prohemium initium dicendi. Prefagium prescientia. Prefagus prescius. Penthateucos theucos volumen. Inde pentateucus quasi quinque librorum volumen &c.* Singulis fere Libris decursis additur *Epilogus* instar *Spicilegii*, unde conjicio, duorum Glossatorum labores hic conjunctos fuisse, quorum tamen neuter alteri doctrinam inuideat. Post *L. I. Machab.* recensetur *fol. 51. Psalterium* praevia hac Rubrica: *Incipit translatio psalterij secundum beatum yeronimum raris uocabulis interpositum modicum discrepans a nostra translatione que vulgaris dicitur. Omnium enim librorum translationem sancti ieronimi recipimus nisi hanc. tum quia modicum differunt. tum propter quasdam inconuenientias consensus. ut ibi: Tecum principium. et ibi: Supra dorsum meum. Priore namque loco *Pf. CIX. Hieronymi* Versio habet: *Populi tui spontanei*, altero *Pf. CXXVIII. Super cervicem meam arabant* &c. utrumque propius ad Textum hebr. Quod ordinem Librorum ceterorum adtinet, *Jacobi Epistola* post *Apocalysin* trajecta est, et illam *Liber II. Machab.* cum nova *Glossa Prologi Hieronymi. Frater Ambrosius* &c. sequitur. His adjungitur *bonum Notabile in libros prophetarum et in libros regum et postea sequitur linea uel registrum pro-**